

8.18.6

*Impp. Valerianus et Gallienus AA. Philoxeno.*

Si generaliter bona sint obligata et postea res alii specialiter pignori dentur, quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor qui ante contraxit, si ab illo tu comparasti, non oportet te ab eo qui postea creditit inquietari.

*PP. prid. id. Mai. Saeculare II et Donato consss.*

[a. 260]

8.18.7

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Iuliano.*

Licet isdem pignoribus multis creditoribus diversis temporibus datis priores habeantur potiores, tamen eum, cuius pecunia praedium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter statim convenit, omnibus anteferri iuris auctoritate declaratur.

*Subscripta XVII k. Febr. AA. consss.*

[a. 293]

8.18.8

*Idem AA. et CC. Fabricio.*

Diversis temporibus eadem re duobus iure pignoris obligata eum, qui prior data mutua pecunia pignus accepit, potiorem haberi certi ac manifesti iuris est, nec alias secundum distrahendi potestatem huius pignoris consequi, nisi superiori creditori debita fuerit soluta quantitas.

*S. prid. k. Mai. Heracliae AA. consss.*

[a. 293]

8.18.9

*Idem AA. et CC. Asclepiodoto.*

Eos qui acceperunt pignora, cum in rem habeant actionem, privilegiis omnibus, quae personalibus actionibus competunt, praeferri constituit.

*S. IIII non. Dec. CC. consss.*

[a. 294]

8.18.10

*Idem AA. et CC. Polydeucae.*

Cum tibi pro dote quam acceperat res maritus obligavit, eo mortuo hi, quibus easdem pignori dederat, non offerentes debitum nulla possunt persequi ratione, nam chirographarios credidores nec in rem nec in personam eos, qui debitori non probantur successisse, ulla ratione convenire posse manifestum est.

*PP. non. Dec. CC. consss.*

[a. 294]